

lis, & dicitur demonium meridianum. psal. 90. Secundus aduersitatis mundialis, & dicitur timor nocturnus. Tertius præsumptionis, & erroris, & dicitur sagitta volans in die. Quartus desperationis finalis, & dicitur negocium perambulans in tenebris. Qui ergo vult esse Ioannes, non erit arundo vento alio quo agitata, sed stabit constans vsque ad mortē, & habebit coronā vitæ Ap. 2.

Ad imitationē  
Io. Christi  
stolospitium de  
bemus præparare.

Oportet secundo in nobis esse carnis castigationem, vt corpus in seruitutem spiritus redigatur. Cum enim Deus est spiritus, non vult sibi fieri habitaculum per blandimenta carnis. Caro enim spiritum nescit. Carnalis quoque homo non sapit ea, quæ sunt spiritus, ita letitia enim est illi 1. Cor. 2. Et qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitis, & concupiscen. ad Galat. 5. Item Gen. 4. Subter te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius. Hinc 1. Co. 7. ait Apostolus Tempus breue est. Reliquum est, vt qui habent vxores, sint tanquam non habentes. Et qui vtuntur hoc mundo &c. Cuius dicti expositionem vide in sermone 3. de pent. parte 3. Tertio si mus prophete, nouissima nostra diligenter attendendo secundum illud Eccl. 7. Memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis. Sunt enim proxima, & incerta. Hinc de primo Eccl. 14. Memor esto, quia mors non tardabit. De secundo. Nescit homo finem suum, sed sicut pisces hamo, & aues laqueo capiuntur, sic homines in tempore malo, cum eis exemplo superuenerit. Eccl. 9. Similis, quam prophete quatenus futura certa tanquam presentia oculis præponamus, quando etiam presentia pericula non ignoramus. Hæc ergo futurorum præuisio, tanquam presentium magnificatio valde disponit hominem ad gratia susceptionem. Hinc propheta.

In meditatione mea exardescet ignis, ad peccati expulsiōnem, & per consequens Christi susceptionem. Extende, vt placeat.

**DOMINICA IIII. Aduentus Sermo I. in oratione. VII.**

**M**EDIVS vestrum stetit, quem vos nescitis. Ioan. 1.

Ad occurrendum venienti suo sponso, eumque dignè suscipiendum, in stante iam sacrosancta festiuitate, frequenter nos excitat sancta mater ecclesia. Et ne à beatis illis nuptiis cum fatuis virginibus nos imperatores excludi contingat, euangelicum illud auribus nostris inculcat. Ecce sponsus venit, exite obuiam ei. Hoc agit, quoties nobis illius aduentum insinuat, quoties venientis maiestatem prædicat, quotiens nos à torpore somni excitat. Hinc est, quod clamat. Paratus esto Israel in occursum domini, quoniam venit, quo ad primum, quod eminentiâ domini per præcursoris organum in euangelio aperit, quo ad secundum quod nos ad spirituale gaudium excitat, & à tristitia ex vicinitate domini euocat per apostolum in epistola, quo ad tertium. Sed quoniam neque dignè ei occurrere, nec reuerenter suscipere poterit, quem nescit. Si enim (testibus Aug. 10. de trini. & Gregor. in ho. 36.) incognitum amari non potest, nec dignè suscipi, qui non amatur, quoniam & si timorem nonnunquam reueremur, quorum tyrannidem formidamus, non est ista reuerentia interior cordialis, & vera, sed exterior verbalis, & ficta quam dominus, qui tanquam sponsus plenus amore venit, non acceptat, sed detestatur. Populus hic (inquit per Esaiam) labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me 29. ca. Et iterum Prouerb. 23. Fili præbe mihi cor tuum. Ideo nequaquam suscipi poterit à nobis incognitus, sed omnino nec præsens teneri. Ideoque primus, ac diligens labor est conari ad verè recognoscere dum venientem, imò presentem, ne sic vt iudei, qui præsentem dereliquerunt, eique stultè apud seruulū quæserunt, nos quærendo ignotum magis elongemur, audiamusque merito obiurgati. omnis verbum cum illis. Medius,

Ad occurrendum  
dum Christo  
hortatur  
ecc. id est  
quis sit  
præponit.